COLLEGIUM ELECTORALE DE ELIGENDO ROMANORUM IMPERATORE

Johann Frischmann

XXIV
ANON.

COLLEGIUM ELECTORALE DE ELIGENDO ROMANORUM IMPERATORE.

M. DC. LVII.

ILLUSTRIUM SUFFRAGATORUM,

ET

EXTERORVM LEGATORVM TABULA.

Serenissimi Electores,
Sacri Rom. Imp. Senatores, libertatis publicæ tutores,
Principes columnæ, Principum flores,
Germaniæ Ephori, Lucumones, Præfecti prætorio,
Interreges, regibus comparandi,
Dignitate præcipui,
Pars melior Germani generis:
Sacri sive togati,
Quis sine nihil magni fieri posse,
Profani seu armati,
Quis sine majestatem imperii in lustriorem fore,
Credidit vetustas.
In partem sollicitudinis, non in imperii consortium,
Assumti,
Autore ferè incerto, certis ex familiis:
Origine in vetustis ignoratâ,
Optimo sanè instituto,
Contra imperaturientium ambitum,
Indigenarum æmulatum, advenarum conatum:
Eligendi facultatem,
Vice totius, quod referunt, Germaniæ corporis,
Nacti,
Vt universi, non ut singuli,
Vt collegium, non ut Collegæ,
Amittendam,
Suffragiis pretio venditis;
præsertim
In tantâ imperandi cupiditate;
Vt, qui praesse cupit, & ad id fastigium legi,
Vrbes, ac provincias, sine discrimine donet,
Si sint, qui accipiant.

Omnes
Successioni ipso nomine inimici,
Secus ipsi nominales, & imaginarii;
Electio mera cerimonia:
II.
Nunc
Ferdinando III. Imper. & ante eum,
Turbato mortalitatis ordine,
Ferdinando IV. F. destinato Roman. Rege,
Fato functis,
Quorum animæ requiescant, & sint dormitiones eorum, in pace.
Moguntinus Elector,
Qui Electoralis collegii Præses, ac primas habet in illo,
Imperio vacante,
Vocat ad Consilium Electionis Electores,
Ritè,
Hoc est,
Accitis omnibus, omnium consensu, loco ac tempore solito:
Rogato post in consilium *Deo*, imperii nostri conditore, conservatore,
Summo imperatoris Electore,
Iuramento ab omnibus exacto,
Commendato eligendi jure libero,
Vi metu, affectu, remotis;
Quibus adhibitis, Electio perit.
Electio sit in libertate eligentium
Non in potestate eligendorum.
Regibus est aliis potiundi jure paterno,
Certa fides, sceptrumque patris novus accipit hæres;
Nos
Quibus est melior libertas, jure vetusto,
Orba suo quoties vacat inclyta Principe Sedes.
Quodlibet arbitrium statuendi Regis habemus.
Quod igitur bonum faustumque sit,
Ac salutis publicæ signum,
Adeste omnes in Collegio, non in angulo,
Inde

Totum

Totum per Germanorum imperium circumferte oculos,
Ferte suffragia non eblandita, non emendicata,
Actu continuo,
Intra XXX. D. nisi velitis pasci pane & aquâ.
Palàm, quàm clam.
Hunc eligite, quem idoneum inveneritis.
Imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus.
III.
Trevir Ego,
Secundus in Electorum, in suffragiorum ordine primus,
Censeo;
Quia eligendi Imperatoris majestas undíquaque quidem summa est;
Nullum etenim caput illa super se
Aspicit, excepto cælorum Rege, potestas:
Præterea.
Tantorum Electorum ministeriis circumdata,
Re tamen imperiali tenuis;
Quæ hodiè ne palatium toto in imperio habet;
Nec reditûs convictui, impensis imperatoriis pares;
Vnde, quod nobis est magnum momentum politicum,
Exteris est magnum deridiculum,
Nostratem rumore, differentibus imperatorem,
Potentem & impotentem, magnum ac parvum,
Divitem honorum, egenum bonorum.
Quia quoq; ordines imperii vel debitas collationes, parcè
& cunctanter suppeditare;
Sæpè renuere,
Inter pœnas servientium, referre solent;
Lege interea imperii imperator tenetur,
Tueri religionem Catholicam, imperii majestatem,
Non onerare ordines imperii tributis,
Tolerare tantæ dignitatis onera,
Belli, pacis, munia,
Erogare pecuniam in aulæ imperialis ministros,
Suo potius ex fisco, quàm imperii ærario,
Adeoque

Vt est Regum conditio, felices facere, non esse felices
Ideò,
Dandum imperio Imperatorem,
Catholicum,
Tuendæ religioni Catholicæ,
Potentem,
Virorum simul ac virium propriarum,
Conservando imperii splendori,
Supplendis solitis imperii impendiis,
Debellandis ejusdem hostibus.
Circumspicienti verò imperiales Germaniæ principes,
(Sepono mei ordinis collegas,
Quibus nec ordo, nec animus, nec spes ambiendi imperium:)
Occurrunt mihi duo eorum genera,
Nostrates, & à nostratium religione aversi,
Eximii Principes omnes.
Omnium pace, cum suo cujusque honore, heîc nominandi,
Memorandi omnes;
Nullius vero honor in alterius contumeliam vertendus,
Nec interpretandus.
Libero in collegio liceat loqui liberè,
At decenter.
Inter aversos Primus Saxoniæ Dux, Elector, collega noster,
Verus Germanus & indigena,
Eodem innatus solo, & educatus, non peregrinatus;
Exterorum morum incuriosus, quàm ignarus.
Ad hoc,
Inde flexâ ætatis maturitate,
Seculares Electores anteit ceteros.
At,
Divisis nunc inter fratres ducatibus illis,
Quibus Electoralis non est annexa dignitas,
Patre potente impotentior, non imprudentior;
Regnandi artes domi patrio rectore edoctus,
Nunquam tamen fuetus,
Patriam senecta Patris regere, minus cupere,

Sed;

Sed;
Noſcere provinciam, imperii res, actus, aſtus,
Spectare interim, & exſpectare ſuam ſpartham.
Non idoneus fortè Imperator,
Reverſurus ad majorum cærimonias,
Non obnitentibus fratrum animis ac telis.
Alter eſt Elector Brandenburgicus, Pruſſiæ Dux;
Ætate minor Saxone,
Sed,
Ditionibus, amicitiis, federibus, nuperis geſtis, major eodem.
Nec jam apud ſuos, ſed longius clareſcere cœpit.
Electorum hodiè Potentiſſimus.
Regibus non impar Septentrionalibus
Germanus,
Et magnæ in Germania autoritatis,
Commodus Imperator, niſi ſectarius.
Elector Palatinus Rheni,
Imperatoriis majoribus inclytus,
Regio ipſo ortus ſanguine,
Sed aborſus & abactus regno,
Ipſo quoque ſuperiori palatinatu;
Subſidiis Anglicis, Batavicis, aliis,
Æt. 39. Ætate major Brandenburgico, ditionibus minor eôdem
Sed longè an œniſſimis ſpectatior.
Cetera
Principum vigilantiſſimus,
quem etiam aliud agentem ipſa multarum artium ſcientia ornat.
Reliquis hodie Electoribus imbellior, Bellax tamen;
Germanus, ſed *infectus.*
Alumonio, ſervitio, cultu, omnibus externis.
Alienus à noſtratium religione,
Et ab opibus imperio dignus.
Reliqui Imperii Principes,
Saxonici,
Ut numero majores, ita potentiâ minores,
Brandenburgici,

Illu-

Illuſtriores, quàm opulentiores.
Palatini,
Ad modicum redacti.
Utriusq; Pomeraniæ Duces diſcreti, ſociati armis contra Poloniæ Regem,
Suecus & Brandenburgicus
¡Suâ quisq; magnitudine, magnitudinem imperatoriam ſuſtinere
Si æquè Catholicam poſſent religionem.
Holſato familiarum affinitas regiarum plusquam ducalia inſpirat.
Vetuſtiſſimi Principum in imperio,
Megapolitani, Anhaltini, Lauenburgenſes, Brunſuico-Luneburgenſes,
Pares magnis Principibus, impares imperio omnes.
Suis verò in territoriis quaſi reges,
Dux Wirtenbergiæ multis ſplendidior & conſpectior,
Auctu, amœnitate, fertilitate Ducatûs;
Cui Ducatui nec urbes, nec oppida, nec collegia, nec vici, nec pagi, nec villæ,
Nec ſylvæ, nec colles, nec valles, nec amnes, nec agri, nec prata,
Nec urbibus cives, nec oppidis incolæ, nec collegiis ſodales.
Nec vicis ſubditi, nec pagis ruſtici, nec villis coloni,
Nec ſylvis feræ, nec collibus uvæ, nec vallibus fontes,
Nec amnibus piſces, nec agris fruges, nec pratis armenta deſunt,
Idem quoq; ditior, ſi Nicer ejus foret navigabilior, & verſus
Danubium, quàm Rhenum.
Aut ille ſaltim minus obæratior.
Redundantior verò eſt,
Vitæ ſubſidiis, quàm belli præſidiis, viris quàm viribus, pecude
quàm pecunia,
Rerum tamen Dux ipſe ſuarum ſagaciſſimus, providentiſſimus,
Luſtrando dilectui intentus,
Par ſanè lautioribus;
Impar impendiis imperatore dignis,
Et indigna eodem Ducis religio.
Haſſo-Caſſellanus æquat eundem fortunâ, fortè ſuperat fortitudine,
Darmſtadianus medius inter utrumq;,
Pace quàm bello melior, prudentiâ quàm potentiâ notior.
Bado-Durlacenſis ingenio, ſenio, ſubole maſculâ magnus,
Conſtans adverſus adverſa,

Ditio-

Ditionibus parvis, & disjectis, invalidus.
Non addo harum domuum appendices,
Dominos appanagiatos,
Principes virtute plerunq; quàm fortuna majores,
Majoribus natu sæpè industriores,
Nec imperii Comites ac Barones,
quibus si, ut usus olim, ita virtus hodie conferret imperium,
idem auferret aut impotentia, aut secta.
Sed hæc de istis omnibus suffragia,
Quia conditionibus irretita,
Irrita sunt.
Verto ad nostrates imperio propiores,
Omnes ex nationis & religionis, quosdam quoq; ex regionis adminiculo.
Non ad Novitios illos Catholicos,
Principes & Comites stirpe & nomine celebres,
Studiis diversos,
Demerendorum, candidatos honorum,
Sultzbacensem, Wirtenbergicum, Luneburgensem, Hassum, Nassovium.
Nec ad Neoburgicum,
Proceritate corporis, animi figurâ ditionibus,
Prosapiâ, affinitate, fœderibus superbum;
Nec ad Baden Badensem,
Morientis in Germania justitiæ sospitatorem,
Spectatum virtutibus vero principe dignis,
Dignum majori fortunâ Principem.
Nec ad Electorem Bavariæ Ducem,
Principem ab Austriacis secundum, ac imperio proximum,
Nec indignum, & fortè ausurum.
Nec ad Tyrolensem,
Parvum magnâ ex stirpe ramum,
Primum imperii Principum Principem;
Avidum fortè, sed, minorem.
Nec ad Archiducem Leopoldum Wilhelmum,
Capacem fortè, sed aspernantem:

In toga locupletem, absq; toga nudum,
Forsan & in purpurâ infelicem,
Fortuna plerunq; secunda exuitur cum toga, cum sago induitur adversa.
Sed verto ad p.m. Imperatoris Filium,
Paternæ bonitatis, sollicitudinis, Pacis, potentiæ hæredem,
Ungariæ, Bohemiæ Regem,
Austriæ Archiducem,
Regnis, provinciis, milite, subsidiis, affinitate Hispanica,
Præpotentem,
Annum jam ingressum decimum septimum,
Ætatem legitimam proximam, numero septenario, perfecto ac sancto, insignitam.
Et hoc augurio lætam:
Ætatem ad omnia incitatissimam,
Quâ quisq; maxime viret, & quodam virtutis flore exardet,
Hic præcipuè, tot prudentium ministeriis adjutus;
Regnandi laboribus maturè admovendus;
Ut experiundo experientiam cum imperio capessat,
Si Austria Germaniæ est gemma;
Hic Austriæ est Corallium;
Qui inter negotiorum, ut illud inter maris fluctus indurescit.
Et per tot expertos rerum actus ad imperii pervenit usum;
Usus verò *omnia monstrat,*
Sanè *sperari potest protinus, quantus est.*
Et Ordines Imperii confidere possunt,
Talem futurum, qualem cognitum judico.
Campana ex pulsu noscitur,
Hic *ex oratione, animi vultu,*
Hic
Natu majore fratre p.m. omnes jam titulos possidente,
Regis Ungariæ, Bohemiæ, Germaniæ,
Quæsivit,
Ecquid mihi relictum, aut de me futurum est?
(Se quasi in hoc præteritum, & nimium in fratrem collatum reputans.
Animo jam suo tum captabat regnum)

Bonum

Bonum omen!
Cui responsum.
Quicquid Deus velit.
Sua interea ætatis studia curet, cetera Deo permittat.
Optimum omen!
In præsens tùm haut animadversum,
Mox, ab excessu fratris, ad auspicium Regiæ tractum,
Nunc ad præsagium Imperatoriæ fortunæ trahendum.
Hic adeo ab ipso Deô repertus, & electus est.
Ipsius hoc opus, ipsius hoc imperium.
Ego verò,
Qui electionis tantum minister sum,
Nec adeò inimicus successioni, vel quasi,
Quin Electionem ad instar successionis flectam;
Hoc daturus,
Magnis optimi parentis meritis,
Demerendisq; imperii ordinibus genito filio,
Usui deniq; talium regnorum communi,
Poloniæ, Ungariæ, Bohemiæ, Daniæ,
Quo
Defuncti filius in electione præfertur aliis,
quiq; mos hactenus nostro in imperio servatus;
quia
Imperatorum diadema grave est,
Nec nisi capiti assueto commodum.
Nec sine belli irritamento alteri imponendum,
Aureumve imperii pomum in pomum discordiarum vertendum,
Ego, inquam, S.R.J. Elector,
Bonis illis omnibus,
LEOPOLDUM IGNATIUM,
Ungariæ, Bohemiæ, Regem, Austriæ Archiducem,
Nunc
Libero meo suffragio,
Eligo, saluto, nuncupo, renuncio,
Germaniæ Regem, Romanorum Imperatorem,

Supremum Populi Christiani Caput,
Verendum, reverendum.

IV.

Coloniensis suffragium.

Superfluentem Principum multitudinem in hoc negotio
allegare superfluum:
Diversa est Electio,
Pontificis, aut Venetorum Ducis, ac Imperatoris.
Ibi, qui eligunt, & eligi possunt, plures sunt:
Via ad ambitum apertior, opertior eventus:
Hîc, eligentes, & eligendi pauciores sunt,
Iudicium certius, successus indubius.
Neq; hodie spectata in bello, aut pace virtus aut fama,
Modicæ potentiæ Principes ac Dominos ad hujus majestatis
fastigium provehit,
Ut provexit olim Habspurgensem, & Nassovium;
Neq; hîc genus tantum & fortia facta,
Ultra merita spectantur majora alia,
Res & vires;
Quibus qui in Imperio præpollent, *in uno annulo perscribi possunt,*
Hinc impares imperio,
Neoburgicus, Baden Badensis, Tyrolensis, Imperatoris frater.
Et quia pleriq; Germaniæ Principes religionis & cerimoniarum
vetus reliquerunt,
Hinc nec istis, nec Sueciæ, nec Daniæ Regibus,
Incapacibus, avidis quanquam, ac præpollentibus,
Aditus ad Imperium;
Tâm conscientiæ, quam status rationis ratione;
Itaq;
Eligendorum numerus iterum artior;
Redactus ad duos;
Leopoldum Ignatium, Ungariæ, Bohemiæ Regem, Austriæ Archiducem.
Et
Ferdinandum Mariam Franciscum Ignatium Wolffgangum,
Electorem, Bavariæ Ducem,
Religione pares, virium & imperii æmulos.

Ille

Ille legitimâ ætate minor, hic major.
Ille provinciis, ditionibus, amplior, hic restrictior:
Ille suis popularibus ex religionis causa valdè viduatus, hic
redintegratus;
Ille onerosi ac otiosi militis,
Extremâ pecuniarum ac virium coactione coacti,
Stipendiis exhaustus, hic integer,
Et militari redundans pecuniâ, armorum paratu.
Pendulus ille metu ex vicina Polonia, Turciâ, propriis provinciis,
Ob legem religioni à parente dictam irritatis,
Ad discordias, injuriarum ultionem, pronis,
Quàm primùm occasio, aut caput aderit.
Affluentibus ceteris,
Qui metu magis, quàm benevolentia subjecti;
Quiq; unâ, repertis autoribus, tollant animum;
Hic intus & extra omni metu solutus, & suorum securus.
Ille nunc seditione militis, nunc fastidio ministrorum,
Ob non soluta stipendia, ac salaria,
Impeditus,
Hic expeditus utroq;, suo cuiq; soluto:
Nisi fortè & hujus aula in tres nunc scissa factiones,
Austriacam, Bavaricam, Sabaudicam:
Sed hactenus intra aulam, ac pro aulæ aura steterunt:
Et una remedium alterius fuit.
Ille vel patris provisu, rectoris, & adjutoris, hic nullius indigus.
Ille fortè patrui fide parùm tutus;
Nota quippe patrui magni machinatio olim:
Quod potuit fieri, potest fieri,
Illius præsertim ætate,
Præteritorum ignarâ, præsentium minùs curiosa, futurorum improvidâ,
Ac patruo ægriùs ferente,
Belgicæ regimen sibi ademtum, nec oblatum Germaniæ.
Neq; æquiores experturus cognatos Tyrolenses,
Toties præteritos, Alsaticis exutos matrimoniis,
Ære promisso, nondum soluto.
Contrà

Hic sua in familia Wilhelmina sine omni est æmulo:
Ille Venetos, potentiorum se invidos,
Imminuendæ Austriacæ potentiæ intentos,
Semper malos habet vicinos;
Neq; sibi faventem Pontificem,
Toties a majoribus suis violatum:
Hic utrosq; habet amicos ac volentes;
Ille respicit auxiliarios suos,
Nunc Danum, sed longinquum, tardum, intutum,
Nimis olim offensum;
Nunc in imperio Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos,
Sed præterito attritos bello,
Opis indigos, non prodigos.
Nunc cognatum Mantuæ Ducem,
Sed Duces inter Sabaudiæ, & Mutinæ ita cinctum,
Ut, si velit, movere vix possit.
Nunc Hispanum sibi per affinitatem connexum;
Sed sanguinolentum ejusdem imperii æmulum,
Et hodie ita arctum,
Ut ab Austriaco hactenus ipsi, non ab ipso illi subventum sit,
Contra;
Hic socios habet Gallum Regum potentissimum,
Sabaudum affinem & armis præpotentem.
Me, Coloniensem Electorem, Bavarum sibi studiosissimum,
Reliquos imperii ac Italiæ Principes,
Sacros ac Profanos, obvios ac pronos.
Quos ille omnes
Uno atq; altero excepto,
Habet vel adversos, vel infensos,
Infensissimum vero Gallum bis lacessitum.
Et forte Suecum lacessitu facilem
Ille deniq; magis Hispanicus, iste magis Germanicus.
Ille lentior, more aulæ Viennensis, hic gravior justitiæ exsecutor,
Ille accipiendo imperium beneficium dedisse, se hic accepisse dicturus.
Ille parvam, hic numerosam inde obligandi, imputandiq;
materiam capturus.

Talis

Talis Austriacus, talis Bavarus.
His rerum momentis rectè invicem expensis;
Austriacus solâ superat Bavarum provinciarum amplitudine,
Bavarus Austriacum, ditionum securitate,
Subditorum fide & obsequio,
Exterorum & Germanorum amicitiâ,
Viribus certis, ac paratis.
Unde Bavaro volentia omnium vota futura.
Palatini inprimis Consanguinei;
qui in redhostimentum inde recepturus est,
Superiorem forte Palatinatum,
Pristinam certè Electoralis dignitatis prærogativam,
Præferendi pomum aureum universalis imperii signum,
Vices gerendi, vacante imperio, imperatorias.
Amicitiam uterq; individuam;
Totum verò Electorale collegium,
Sanctissimum suum ac perfectissimum septemviratum;
Liberum, quamvis ad duos arctatum, jus eligendi alium,
Alia etiam, quàm unâ ex domo.
Exemplo, & laudatâ veterum Electorum libertate.
A quibus nunquam, aut rarò filius patri, frater fratri suffectus.
Sapienti Innocentii III. monito,
Perituram, inquientis, *omnem electionis vim,*
Si,
(Ita tùm ambiebatur.)
Philippus Sueviæ Dux fratri Henrico, ut Henricus, Friderico,
Et iste Cunrado patri successit, succedit;
Non sine injuriâ tot aliorum in Germania Principum,
Stirpe, virtute, potentia, nomine, non inferiorum.
Noluit politicus pater tres, aut quatuor unâ ex domo,
Anné nunc vellet, illæso electionis jure, quatuordecim?
Undę quoq; ab iis,
1273 Tuendæ libertati, & firmandæ Electioni,
Henrico Rudolphus Habspurgensis, huic Adolphus Nassovius,
(Omisso Alberto Rudolphi F. capace, nec aspernante.)
1298 Post resumto Alberto Henricus Lucemburgicus,

(Præ-

(Præterito ejus Filio Friderico Bohemiæ Rege,
Non indigno, & auſo:)
Lucemburgico Ludovicus Bavariæ Dux,
(Sepoſito Henrici F. Joanne Bohemiæ Rege, Principe imperio digno,)
Bavaro Carolus IV. ejus æmulus, (excluſa Bavari familiâ;)
Carolô quidem Wenceslaus Filius,
(Sed per eblanditas preces,)
Subrogatus, mox abrogatus eſt;
Subſtituto Roberto Palatino;
Quem poſteà alter Caroli F. Sigiſmundus eſt ſecutus,
Succeſſionis ordine ſemper interrupto, jure electionis ſervato.
1438 Quo deinde ex familia Auſtriaca receptus eſt *Albertus II.*
Cui in imperio ſucceſſit *Fridericus III.* Auſtriacus
Alberti ex patruo magno Leopoldo *nepos*;
Friderico III. Filius *Maximilianus I.* huic Filius *Maximilianus II.*
Iſti Filius *Rudolphus II.* Rudolpho II. frater *Matthias*, huic ex patruo
nepos *Ferdinandus II.*
1637. Ferdinando II. *F. Ferdinandus III.* (*IV.* F. electus, & defectus;)
1652.53.54. Iure electionis ad inſtar ſucceſſionis tracto:
55.56.57. Nonné demùm ad priſtinam electionis libertatem retrahendo?
Non hic,
Vt in ceteris gentibus, quæ regnantur,
Certa dominorum domus,
Et ceteri ſervi.
Nec unius familiæ hereditas Germania eſt.;
Loco libertatis eſt, quod Impp. eligi cœperunt.
Quod itaq; Deus bene vertat!
Ego S.R.J. Elector,
Hunc patruelem meum, Imperatoris ex ſorore nepotem,
FERDINANDVM,
nunc hujus nomenclaturæ V.
Bavariæ Ducem, hactenus Electorem,
Stirpe regia, & imperatoria, ortum,
Ætatem legitimam ſupergreſſum
Magnis viribus, affinitatibus, amicitiis, paternis victoriis innixum.
Multorum votis expetitum,

Bonum

Bonum catholicum, gratum utriusq; sectæ Principibus,
Hactenus parentis mores referentem,
Cetera sollicitum,
Ejusdem prudentiam ac fortitudinem referre.
Germanum,
Germanorum Regem, Romanorum Imperatorem, Christianorum caput.
Eligo, nomino, proclamo, veneror;
Religionis, pacis, Iustitiæ, custodem;

V

Suffragium Bohemiæ Regis Electoris,
Electoris partes parùm explerem,
Paribus duntaxat interventurus suffragiis,
Qui tertium in dicenda sententiâ, & primum inter seculares locum habeo;
Magno domus meæ ad imperium adminiculo,
1656 Quod
1282 Austriacis sustentaculis supra decem tribus,
0374 Validis veluti humeris,
Annos CCCLXXXIII.
Sedit,
Fortiter, prudenter, feliciter.
En erectum surgit quartum decimum,
Non sine Dei providentiâ,
Rebus humanis, & imperialibus,
Ante diem exemto fratre, patre,
Ut sustinendo ipse imperio maturiùs suesceret.
Et jam accensa est mea adolescentia, erigitq; animum
Ad æmulandum, quod laudari in majoribus audit,
Nempe *regere Imperio populos, curare pacem, justitiam*
cujusque honorem.
Incipiente potentiâ, bonis consiliis notescere,
Respondere spei omnium.
Equidem,
(Neq; enim mihi id ætas permittit,)
Non allego mea merita, rectam prudenter à me provinciam,
Quod Candidato ad sequentes honores maximè prodest;
Sed recito majorum meorum memoriam,

C Tot

Tot illustrium erga rem publicam meritorum prædicationem,
Incitamenta officij præsentis, testimonia præteriti temporis.
Futuri exempla:
Exemplo Magnorum Principum, laudabili,
Theodorici Regis, Anastasii, Leonis, Impp.
Qui defunctorum filios parentum honoribus ornarunt,
Non innumeratos relinquerunt.
Sed,
Expectanda non sunt consilia humana,
Cùm præcedant divina suffragia:
DEI ac Treviri suffragio suffragium meum infero.
quo,
Ego, S.R.J. Elector, Bohemiæ Rex,
Exemplo Sigismundi Electoris Brandeburg. Ungariæ ac Bohemiæ Regis,
Me ipsum,
Qui me ipse novi, alios non item,
An æquè mecum Imperio orbis digni aut pares sint,
Præsertim in tanto Poloniæ, Turciæ, Italiæ motu,
Non habitâ Bavari ratione,
De quo multa aliena, multa vana, ac in speciem dicta,
quædam suspicioni me inter & patruum adjutorem irritandæ sparsa,
quæ aliis retundenda relinquo;
Me, inquam, ipsum,
Quod benè ac feliciter eveniat nobis, Reipubl.
LEOPOLDUM IGNATIUM Austriæ Archiducem,
Eligo, offero, do, ac exhibeo,
Summum Romano-Germanici imperij Imperatorem,
Fortissimum Christianorum contra Turcos munimentum,
Humani Generis levamentum.

VI.

Electoris Bavariæ Ducis.
Baioria mea,
Regibus olim, post imperatoribus, Ducibus deinde,
Etiam Palatinis, hactenus Electoribus, nunc iterum imperatore digna
Aucta Superiori Palatinatu, comitatu Cham. Donawerda,
Redituum, opum, militum, promacondа;

Pa
r

Par olim opibus ſuſtentando, & ſuſtinendo Ludovico Imperatori,
Pontificem contra & Fridericum Auſtriacum.
Par modò firmandæ armis & ære, Ferdinandi II. Imp. majeſtati.
Adverſus Bohemos, Ungaros, Tranſſylvanos, Germanos,
Teſtis eſt iſta Electoralis dignitas,
Imperatoris nutu, Procerum imperij conſenſu,
Pro ingentibus de ſuâ majeſtate, imperio, Religione Catholicâ
patris mei meritis,
Quaſi poſtliminio ad meam Bavariam reverſa,
Nunc glorioſiorem,
Potentiſſimâ Ducis Sabaudiæ, à Regibus ac Principibus æſtimati, affinitate,
Itaq;
Ego S.R.J. Elector, potens, Germanus, Catholicus,
Inclytam hanc domum meam,
Cui Aquila clauſtris Auſtriacis quam primùm emiſſa,
Jam olim deſtinata fuit ſuffragatoribus,
Pontifice, Galliarum Rege, præcipuis Germaniæ & Italiæ Principibus,
Ipſo Palatino olim, & forte hodiè, conſanguineo meo,
Plurimis bonis catholicis aliis,
Auſtriacorum potentiæ nimis diuturnæ,
Aut pavidis aut pertæſis, aut æmulis,
Meo nunc ipſo ſuffragio,
Ad priſtinam dignitatem imperatorem revoco;
Præcipuè Colonienſis de me factæ electioni conſentio.
Et
Si fas eſt ſeipſum nominare,
Me,
Quod proſperè cedet mihi, reipubl. nobis,
FERDINANDVM,
Revocato priſco imperij ſeptemviratu,
Electorali dignitate conſanguineo redditâ,
Exemplo Sigiſmundi Hungari,
Qui,
Accepto imperio, Electoratum Brandeburgico offerebat,
Me, inquam, Bavariæ Ducem,
Eligo, repræſento, indico, & indigito,

Germaniæ Regem, Romanorum Imperatorem,
Pium, Clementem, Æquum;

VII.

Electoris Saxoniæ Ducis.

Beatos quondam Electores Germanos!
Major illis, difficilior quanquam, liberior tamen erat eligendorum copia:
Quærentibus imperatorem non in unâ & altera domo,
Sed *in Republica*:
Si id veritate, ut utilitate & antiquitate defendi potest,
Eligentibus unum, ex XII. Principibus,
Quos communi ordines imperii consensu proponebant.
Multi destinandi, donec unus eligatur.
Nunc *eo necessitatis jam pridem ventum est;*
Unius ut atque alterius familiæ Electores simus.
Omnes nobis amplissimam condicunt dignitatem,
Potestatem concidunt omnes.
Anné senescentis idem ac surgentis imperii fatum,
Eadem virorum penuria Principum?
Ut adipiscundi fortunæ ad paucos veniat,
Ad Lucium Quinctium, dictatorem ab aratro, aut huic similem Piastum.
Aut, ut in Ecclesiæ infantia, ad Barsabam & Matthiam,
Tantiné est,
Ut diversis ex locis, locum ad unum, non sine incommodo ac impendio, ciendi sint,
Electores octo duos propter,
quos *potentia* ausuros, & *religio* capaces reddit;
Audeant, uter capiat.

Et,

Sic majores quoq; de principatu armis certabant;
Quiescentibus non offerebatur.
Et solita ferè inter duos concertatio,
Inter plures Electio,
Hoc est,
Ex universis cujusdam separatio,
Ad cujus personam applicatur imperatoria potestas,

(Quæ

(quæ penes Electores non est, sed à Deo, & ex lege Regia;)
Et demùm,
Quando de plurium meritis Electorum primus reliquos consuluerit,
Reliqui plurium merita communi consilio dispexerint,
Et in uno ex omnibus,
Cujus ditione, ac nutu vastum hoc imperii corpus, Pax, bella regantur,
Nisi omnia, præcipua tamen, invenerint;
Siquidem,
Meritorum scrutinium illustris est inter plures,
Inter duos mera comparatio est:
Quæ alterutri grata, vel ingrata
Sæpè non sine discrimine comparantis,
De Principibus præsertim instituta,
Et in tanti momenti negotio.
Nisi fortè prolata à sacri ordinis hominibus,
Quibus sentire licet, quæ velint, & quæ sententiant, dicere,
Porrò,
Ad duos duntaxat familias, solo quasi potentiæ & religionis charactere insignes
Nostra arctata Electio,
Sæpè enervata, sæpè noxia erit;
Nec satis integrum eligendi judicium;
Quid si in iis sint quidem potentes & Catholici,
(quorùm hoc ferè nunc assuetudinis, illud fortunæ bonum est)
Sed vel pueri, vel adolescentes, vel decrepiti?
Væ populo, cujus Rex puer!
Vopisc. Tacit. Imp. §. 2. *Dii avertant principes pueros, & patres patriæ impuberes!*
Quibus adsubscribendum magistri literarii manus tenent,
Quæ, malum, ratio est, habere Imperatorem, qui famam curare non noverit,
Qui, quid sit Respublica, nesciat;
Qui faciat nobiles, feudatarios, duces judices,
Quorum vitas, merita, ætates, familias, gesta non novit.
Adolescentes verò *cupiditates ejus ætatis nondum effugerunt.*
Tum verò *æquari adolescentes senectæ suæ, impatientes, quis Senior, indolet.*

Sed

Sed jam olim imperii Princeps rectè monuit in posterum,
Ne quis mobiles adolescentium animos præmatur is honoribus,
ad superbiam extolleret.
Decrepiti tandem, depontani:
Boni in cubiculo, & in umbrâ; non in pulvere, & inter armâ.
Præterea,
Rarum ac difficile in una atq; alterâ, domo, invenire,
Ex præscripto quidem *Aureæ Bullæ*,
Hominem, justum, bonum, utilem,
Hoc est,
Virum ætate composita, honorum capace, incorruptâ vitâ,
& virtute Germanis,
Justitiæ amantem, imò justitiæ oculum, ac manum,
Vim ejus exsequentem:
Imperatorem talem huic seculo nostro summe necessarium!
Redundat quidem *imperium* nostrum *jurium Doctoribus*,
Etiam *judicibus*, mente sæpiùs, quàm oculo cæcis,
Etiam *advocatis*,
Quibus fori tabes pecuniam, ut vis morborum pretia
medentibus fert,
Sed totum *labat jurium exsecutoribus*;
Præcipuè increditi & debiti causis.
Nulla edictorum imperatoris imperij, Cameræ habitâ reverentiâ,
Nec à principibus, nec prætoribus, urbanis rusticis:
Nulla spectata ratione stipulatæ dextræ.
Adeò perijt pars laudis antiquæ,
Nullos mortalium fide ante Germanos esse,
Et,
Aequissima vox Prætoris;
Solve quod debes;
Contrà
Invaluit illius erubescenda,
Impius non solvit mutuum.
Nunc sanè nulla in Germaniâ, melior in Turcia justitia est;
Grave & calamitosum, fidem in hominibus nullam esse.
Sed omne hoc malum a capite descendit.

Omnium

Omnium superiorum proprium est, ac quasi inter titulos,
Aes alienum debere, detinere, nil, aut trientem reddere,
Si quis quid reddit, ei magna habenda est gratia.
Inferiorum contrà, ac miserias inter bello majores,
Egere, condicere, parum obtinere;
Hoc justitiæ genus, quod fidem violat juridicam,
Generis solvit humani vinculum,
Justitiâ ac authoritate novi imperatoris in imperio est reprimendum.
Huc imperialis Aquilæ oculi, alæ, ungues, vertenda.
Acies oculorum,
Ad delicta, & jura cognoscenda;
Levitas alarum,
Pro exsecutione,
Robur unguium,
Ne in illa deficiat.
Bonum deniq; & utilem vult A. B.
Hoc est,
Aditu facilem, faciles interpellantibus præbentem aures;
Clementem, *parvis peccatis veniam, severitatem magnis commodantem.*
Nec pœnâ semper, sæpius pœnitentiâ contentum.
Benignum, *Deo similem, plurimis bene faciendo.*
Neq; verò harum virtutum Austriaca domus fuit sterilis.
Quarum mihi spem *præsens Austriæ flos* facit:
Boni creantur bonis:
Quem non dubito ad imperium decerpere,
Addito adjutore patruo,
Patris optimi judicio.
Ætas ll. imperii definita non est,
Nec olim *in capessendis honoribus observata,*
Carolus V. ætatis anno XIIX. in hoc fastigio collocatus,
Cui iste quàm proximus est;
Undiquaq; perfectos imperatores voto expetendos,
Qualescunq; sumendos.
Non est in electione ita Philosophandum,
Electio civiliter est celebranda
Civilia non aliter constant.

Quemcunq;

quemcunq; quis sibi finxerit, incommodis non carebit,
Nec ipse Bavariæ Dux
Cui non expedit tantum onus & invidiam adire;
Minus eidem contra consanguineum suffragari;
Ne bello vix erepta Germania bello novo implicetur.
Aut inde, unde quies imperii nasci debeat, inquies nascatur.
Itaq;,
Ea ut mî,
Reiq; & fidei, imperio, vobisq; Quirites,
S. fortunatim, feliciter ac benè vortant.
Ego S.R.J. Elector.
LEOPOLDUM IGNATIUM,
Ungariæ, Bohemiæ Regem, Austriæ Archiducem,
Nunc debito hoc suffragio,
Eligo, renuncio, consaluto, declaro,
Germaniæ Regem, Romanorum Imperatorem,
Semper Augustum,
Summum orbis Christiani Dominum,
Justum, Bonum, utilem.

VIII.

Electoris Brandenburgici:
Electoris arbitrio potens potiturus rerum,
Meo quidem,
Non est quærendus, nec collocandus, in imperio.
Potentem ego arbitror neminem,
Nisi qui suis fructibus exercitum alere potest.
At cui, qui imperii Princeps est, tanta pecuniæ vis?
Nolo singulos vocare ad calculum, calculo ne quem mordere videar:
Juvat id unum monuisse;
Romanum imperium,
(Ita veteres referunt imperialium rationum libri)
Olim septuagies decies centenis imperialium millibus validum,
Hodie
Splendidum quanquam majestate imperatoriâ,
Nec separatâ domus Austriacæ magnitudine
Tàm est agrum,

Ut

Vt admoveri calculis, aut geminâ suspendier lance reformidet,
Cui vires desunt, quiete gaudet, non motu, nec jactatione,
In ponerando, & computando frequentissima.
Causæ istius decrementi, & invalentiæ,
Non nuperum demùm bellum, nec Electorum incuria,
Sed Europæorum vigilantia Principum,
Qui junctis viribus deplumarunt Aquilam, quæ alios deplumaverat,
Ipsorum quoq; imperij ministrorum ambitio,
qui mox facti Domini, comites, Marchiones, Duces imperij,
Solutiori, quàm imperator ipse, potestate:
Pòst imperatorum avaritia,
Rudolphi Habspurg. Caroli IV. Caroli V.
qui se præcipuis induerunt plumis illius avis,
Non hæreditariæ, & citò ab ipsis avolaturæ ad alios.
Reliquis,
Spretâ lege regni, acceptâ pecuniâ,
Exemptis venditis.
Austriacæ denique domus nimium ex matrimoniis incrementum.
Materia quidem potentiæ, sed invidiæ, simul ac æmulationis,
Austriacos inter & Papas & Reges,
Inde vulnera imperio per illius latus inflicta,
Quæ ubi nullâ curâ sustentabantur,
Magnæ insederunt humidi pravitates,
Contemtus imperij odium in domum Austriacam Hispanicam,
Dedignatio parendi, religionis discidium, inde dissidium,
Diffidentia inter Imp. & imperij ordines, & hos inter ipsos,
Factiones, fœdera, collusiones clandestinæ,
Ab his nimis elata Imp. autoritas, ab illis imperij libertas nimis artata,
Ab aliis eadem nimis laxata, unde omnis concentus turbatus.
Vis præterea, & via facti juris prætextus, summa injustitia, ratio status,
Bella interna, postea exteri,
Quos inter validos & impotentes nec quiescere nec crescere.
Nec coalescere potuit, nec potest, Imperium.
Sed & ea *potentia, non satis magna* est,
Quæ,
Vt jactabatur,

Solâ provinciarum amplitudine, aut securitate,
Nec *infinitâ* (h. e. non circumscriptâ) simul *redituum*, aut tribitorum *facultate*,
Suâ veluti vi, nititur.
At tales reditus habere, non est Principum Germaniæ;
Talia turbata pati non est Germanorum.
Sine talibus verò nec stipendia, nec sine stipendiis arma,
Nec sine armis potentia haberi potest.
Sola arma potentem ac formidolosum ostentant,
Olim Vandalos & Gothos, hodiè Svecos, Gallos, Hispanos & Anglos,
Ex quibus, si liceret, aliquis asciri possit;
Svecus præcipuè, quia Germanus ac Pote[illegible]
Cædere Polonos, Russos, Tataros, Turcos, sue[illegible]
Sæpè olim Imperatores è legionibus electi armipotentes,
Et consensu Senatu[illegible]pprobati.
Fortibus viris natura omnes terras aperit.
Sed non expedit imperio, habere potentem Imperatorem.
Non adversus Turcam, hactenus imperio non gravem;
Imperatoribus Austriacis sæpè utilem,
Cujus prætextu opipara ex imperio collegerunt tributa.
Quasi Annibalis ad portas;
Subitò irrupturus Turca,
Clypeo non gladio excipiendus, muneribus, non viribus repellendus:
Sed nec facilè irrupturus,
Cinctus præsidiis, ac propugnaculis conterminorum
Austriacorum, Venetorum, Hispanorum, Melitensium,
Moschorum, Polonoarum, Casaccorum, Tatarorum.
Nec ille hodie priscâ virtute, ac successu, nec diu militat.
Ingruenti proximus est Austriacus,
Sua defensurus: suâ quàm imperij necessitate.
Cujus commoda non sunt imperij, sic nec incommoda.
Ulterius progressuro,
Bellum sacrum opponendum.
Commune periculum communibus viribus propulsandum
Imperatoris auspicio, imperij principum Christianorum potentiâ auro tributis,

Illi

..li, quicunq; sit, imperij Principes volentiores erunt, quam Austriaco Imp.
quia huic semper sunt diffidentissimi.
Promtiora quoq; alius, quàm iste habebit subsidia
Quippe ibi, ubi oportet, impendenda, non propriis ditionibus,
Præterea,
Imperium etiam in Rudolpho, minorum gentium comite, &
Rudolpho Nassovio,
In illo quanquam tutius, quàm in hoc, sedit.
Nec imperium ex opibus, aut inopiâ, multitudine aut paucitate subditorum,
Sed æstimandum ex jure summæ potestatis in Imperatore repositæ:
Evander æquè ac Diocletianus, Emathion, quàm Alexander M. Rex fuit.
Quin imò,
Nunquam satis fida potentia, ubi nimia est,
Nimius Imperator Germanorum libertati formidolosus,
Leges imperij violaturus, *dum dominationis apiscitur,*
Imperij pleno jure habendi;
Servitio Principibus Germaniæ, veluti victis, indicto.
Nonnè Belgij potitus, potens Maximilianus I.
Italiam, ac Venetos
Avo ambitiosior ac ex Hispaniarum regnis potentior nepos Carolus V.
Germaniam, ac Principes potiores,
Terruit, labefecit, cepit,
Libertas utriusq; sub jugum missa fuisset,
ni Reges potentiori obstitissent,
Afflictis subvenissent,
Philippus Caroli F. æquè potentissimus imperij candidatus,
Imperator idem fuisset ausurus;
Quem Collegium idcircò Electorale prudens præteriit,
Antehabito Caroli Fratre, minus potente.
Idem eidem nunc collegio faciundum suadeo;
Et,
Omisso Imp. p. m. filio, ætate minori, rerum imperij inexperto,
Aliorum oculis & auribus usuro,
Cui providus parens, veluti suis regundis impari,
Adjutorem ipse dedit patruum,

Hunc ego quoq; ad imperium vocandum censeo,
Minus potentem, magis volentem.
Imò satis validum, benè ac tempestivè adjutum;
Imperiali canone, oblatione, indictione,
Impendendis imperio, non hæreditariis, quibus ille caret provinciis?
Has collationes, *imperij* quidem *onera*, satis *pensabit*
Imperatoris favor,
Par in omnes studium;
Citò cuiq; *administranda justitia.*
Idem tantò Germaniæ principibus, quam Poloniæ proceribus obligatior.
Quantò imperium Germanorum, melius est Polonorum mobilium
mobili regno;
Et summo ordinis in Prussia Teutonici magisterio:
Ne itaq; *decus imperatorium aliam in domum fortè translatum,*
Turbas in composita modò Germania ciat,
Et ille ne nostras in Polonia ac Prussia augeat,
Ego S. R. J. Elector,
Quod Senatui isti, mihiq; populo, plebiq; Germanæ
benè feliciter eveniat,
LEOPOLDUM WILHELMUM, Austriæ Archiducem
Imp. p. m. Fratrem,
A pedo ad sceptrum, à tiarâ ad galeam, & coronam voco,
Romanorum Imperatorem,
Eligo, excipio, designo, constituo,
Minus Hispanum, fastiditum ob Hispanum.
A Germanis expetitum, magis Germanum.

LX.

Electoris Palatini.

Sententia Platonis Philosophi, in Imperatoris Antonini
Philosophi ore frequens,
Meo etiam congruit ingenio, utinàm & collegij judicio!
Florent civitates, si aut Philosophi imperarent, aut
Imperatores Philosopharentur,
Nec,
Uti *inter pecudes*, sic inter homines,
Natura potestatem, & imperium *valentioribus dedit.* *Vi*

Vir bonus à natura magistratus designatus perpetuus.
Ipsa natura lege, principatus defertur ei, qui justa agit.
Mente qui prudente pollet, is magistratum gerit.
Imperare non dignitas tantum est, aut potestas,
Sed *ars*, & quidem *artium omnium sublimissima.*
Itaq; *deligere oportet imperatorem*,
Non *generis, & majorum*, nec *fortunarum & opum*,
habitâ ratione:
Sed
Qui sapiens sit, temperans, continens, sobrius, frugi
ac tenuis victus
Laborum patiens, acer ingenio,
Non avarus, non juvenis, non senex,
Temperatus
Ne voluptate abductus curam maximarum rerum abjiciat:
Ego sanè,
Qui ingenium illustre altioribus studiis juvenis admodum dedi
Non ut pleriq;, ut nomine magnifico segne otium velarem,
Sed quò firmior adversus fortuita Rempubl. capesserem,
Doctores sapientiæ secutus,
Qui sola bona, quæ honesta, mala tantum, quæ turpia,
Potentiam, nobilitatem, ceteraq; extra animum,
Neq; bonis, neq; malis annumerant,
Eum eligerem imperatorem,
Quem *sapientissimum*, quem *optimum* invenirem.
Ducemné Augustum Guilphebytanum? at senectâ jam invalidum,
An me potius ipsum?
Qui retinui, quod est difficillimum, ex sapientia modum.
Sed hodiè *Philosophia tollit imperium*;
Scilicet,
Quia quidam Germaniæ Principes referunt Moscum.
Rident,
Ignari doctum, ebrij sobrium, prodigi parcum ignavi, industrium.
At omne hoc est ex ignorantia Philosophiæ,
Quæ ipsa ars est se ipsum, & alios rectè gubernandi,

Sed neutrum nostratium admittit Religio Catholica;
Scilicet
Quia pleriq; Germaniæ Principes referunt Papam,
Religionis illius custodem, & imperij datorem quasi,
Quem nos renuimus ille nos.
Sed & *hoc est ex inopia veri, consensu errantium*,
Ignorantium Theologiam, sive Religionem, & jus publicum:
Religio est cultus hominis erga Deum,
Maximè hominis Regis, aut imperatoris;
Qui in hoc Deo servit, in quantum imperator est;
In imperio bona jubendo, mala prohibendo,
Non solùm, quæ pertinent ad humanam societatem,
Verùm etiam, quæ pertinent ad divinam gloriam.
Hoc modo ferè severius illis servimus Deo;
Eccur igitur nos illis indigniores imperio?
Quodquidem, quâ est à Deo, res & functio pia est,
In se tamen *morus est actus hominis erga homines*, non erga Deum,
Superioris quidem erga inferiores.
Suoquidem modo:
Adeoq; à quovis homine capace, etiam impio, ac pagano teneri potest.
Anné Nos Nerone, Domitiano, Heliogabalo,
Reliquâq; illâ diabolicâ potestate sumus deteriores?
Qui imperij excludimur dignitate?
Infamia hæc non nobis solùm, sed nostræ etiam religioni illata,
Non ferenda; referenda, ulciscenda:
At hæretici sumus. Nego.
Hæreticus is est, qui alicujus temporalis commodi,
Maximè gloriæ, principatusq; sui gratiâ,
Falsas, ac novas opiniones gignit, vel sequitur.
Non, qui ab iis recedit, quæ nec veteres Christiani ita crediderunt,
Esto; simus, sumus illis, illi nobis sunt.
Undè ergò ipsis, quàm nobis, major ad imperium facultas?
A Papa,
Cujus est conferre, transferre, auferre imperium.
Hoc *affirmant omnes, nemo scit.*

Figmen-

1198 Figmentum est Innocentij III. Clementis V. Hadriani VI.
1305 Et lex illa *intar claras*, clara non est, nec absq; fuco ingesta.
1522 Veritas contra Justiniani Imperatoris est:
Imperialem fortunam rebus humanis Deus proposuit.
Imperium nobis à cœlesti majestate traditum est.
Deus nobis imperij coronam imposuit;
Imperium Deus de Cœlo constituit.
Idem septemvirale decretum, idem Impp. asserunt.
Ludovicus Bavarus papalia decreta induxit,
Fridericus læsæ majestatis reum dixit, qui imperium à Pontifice collatum & translatum dixit.
Nec sol ennia cærimoniarum semper à Papa petita, aut adhibita sunt,
Nemo Paparum Constantinopolitanos, nemo, ante Constantinum paganos sacravit.
Nemo ipsum Rudolphum Habspurgensem, Maximilianum I. Ferdinand. I. Max. II. Rudolph. II. Matthiam. I.
Coronavit:
Quidam quidem quosdam oleo, & diademate firmârunt,
Sed Manu ministerij, non dominij.
Quidam quoq; Impp. has cærimonias observârunt,
Sed *pro tempore, & re Christianâ, non pro necessitate?*
Lotharius II. Saxo ex assentatione.
Oleum hoc Romanum multis sæpè constitit impendiis & cædibus.
A papis sæpè inter se concitatis imperij competitoribus,
Primis sanè seculis,
Imperio summæ potestatis circa sacra,
Antistites Romani hac in sede locati, & inde remoti ab Impp.
Non hi, ab illis,
721 Nisi turbato imperij statu, & jure isto usurpato.
1159 Primum *a Gregorio III.* contra Leonem III. Imperatorem,
1243 (Post ab *Alexandro* III. contra Heinricum IV. Fridericum I. *ab Innocentio* IV. contra Frid. II.
789 Quod jus jam Carolo M. antea fuerat restitutum *ab Hadriano* I.
796 *A Leone* III. Romæ vexillum, D. Petri claves eidem missæ, submissæ,
Ordo non nisi unum admittit caput.

Ecclesia

Ecclesia est in Republica,

Hæc, non illa judicat de possessionibus,

Carolus sanè M. Germaniæ imperium, ut Cyrus Persiam, Alexand. M. Græciam,

Armis accepit, *à Leone III.* nil nisi solennia:

Quod iste non habebat, alteri non poterat dare.

Rectiùs quoq; Germanorum, quàm Romanorum Imperator dicendus,

Quia à Germanis Germanus eligitur, & Germanis præest.

Verùm

Imperatoris nomen non disputo:

Romanus Imp. dictus, translatâ sede Byzantium.

Roma ibi, ubi Imperator:

Romanus etiamnum dici potest, jure in Romanos retento,

Amisso Dominio.

Nec *Antistitis Romani* ministerium, sed magisterium incesso

Præminere volentis Imperatores,

Movere imperio nos ceteros.

Olim quidem,

Penes S. P. Q. R. electio Imperatoris erat,

Facta à Legionibus, rata demum, probante Senatu,

Quæ probatio pronunciata voce primi civis Romani,

Pòst, Româ Christo redditâ, voce Episcopi,

Qui tali tempore libero, primas in P. R. obtinebat;

Tandem *peculiari coronatione* solenniter facta testatior.

Sic Carolus M. jus imperij in Francos & Longobardos adeptus,

Primò à Francis orientalibus Rex dictus,

Pòst idem à S. P. Q. R. sumtus, voce Episcopi probatus;

Ex electione Germaniæ Principum,

Ius habuit imperandi Germanis, secundum eorum mores,

Et Germanorum erat Imperator

Ex approbatione verò S. P. Q. R. edicta ore Antistitis,

Romanorum erat Imp.

Hactenus omnia recto stabant talo.

Neq; nos à tali Episcopi ministerio aversi quamquam ab ipsius religione,

Accepturi, ut hodiè moris, per legatos, ab eodem imperij solennia,

Sicuti

Sicuti Catholicus Sigiſmundus Suecus ab Antiſtite Lutherano,
accepit regni cærimonias;
Secus verò,
Si miniſterium ille vult excedere
Non primam Romani corporis perſonam referre,
Sed omnium primus eſſe,etiam ſupra Imperatorem,
Donatarius ſupra donatorem;
Miniſter ſupra magiſtrum,
Servus ſervorum ſupra Dominum Dominorum.
Edicere,
Imperium eſſe Religionis appendicem.
Cum Religio ſit imperii appendix,& obſequii vinculum,
Calculo meliorum,
Obteſtari,
Religionem Catholicam non tutam fore,
Uno ex noſtratibus imperante.
Cum utraque in imperio ſit ſecura ex religioſæ pacis conſtituto,
Et illorum noſtrâ ſemper liberior.
Sed quid ſurdas loquor ad aures?
Nec Philoſophus,nec Evangelicus erit Imperator,
Niſi ille *in Republica Platonica,* hic *in Martio-Suecica,*
Aut ibi,ubi utriusq; leges id ferunt.
Ipſe verò,
Neq; Philoſophia,neq; Theologiâ meâ, neq; vi,neq; ambitu,
Noſtri imperii leges turbare volo neq; turbari patiar.
Domeſtico expertus malo quàm ſit periculoſum,detrimentoſum,
Novare res.
Novum ſtatum,novum Ducem,novam quærere
Rempublicam,
Eximio potius docturus exemplo,
In Theologia meâ,
Sapientiâ imperio majori,religione catholica meliori
Quantum diſputando, conciliando profecerim,
Quàm diligam inimicos meos,
Quàm non redam malum pro malo;
Quàm vixam in pace cum omnibus;

E *Quàm*

Quam non ulciscar me ipsum,
Quam non repetam mea ablata,
Restituta non renuam,
Ego S. R. J. Elector,
Quod Deus O. M. secundare velit,
Qui novit, quem cui regioni præficere debeat,
Politico quidem suffragio,
Ferdinandum Mariam Franciscum Ignatium VVolfgangsum,
Bavariæ Electorem, consanguineum, meum,
Eligo, amplector, exosculor, ostento,
Germanorum ac Romanorum Imperatorem;
Voto autem Christiano,
Christiani populi Christianum *Judicem,*
Sua cuiq; reddentem.

X.

Codicillus Legati Regis Galliæ.

Hæc inter Moguntino,
Qui Electorum sententias jam exceperat,
Inter se conferendas suâ vel firmandas, vel infirmandas,
En è proximo,
(Nam Electionis locus legatis exteris inaccessus est,)
Allati tres codicilli,
Unus Regis Galliæ, Hispaniæ alter, tertius Sabaudæ Ducis.
Regis Galliæ, in hunc modum erat compositus,
ab ipsius legato:
Summum Regis, Domini mei, Germanorum in Rempubl. studium:
Nemo vestrûm, Electores, habet nescium, nec inexpertum.
Id tamen,
Omnium animis excessu imperatoris suspensis,
Nunc ut cum maximè,
His testari voluit literis
Veluti præsentissimum, nitentissimum, validissimum,
Vestræ præcipuè dignitati, liberæ Electioni, imperiali majestati,
Saluti deniq; publicæ,
Tuendæ, conservandæ, proferendæ, augendæ,

animi

1282 Anni, ultra C. sunt LV. interrupti; continui CCXXI IX. 1438
1438 *(Grande, & ultra longissima possessionis spatium,* 1654
156 *Nisi actus Electionis teneretur imperij legibus,* 218
Et mera esset facultatis)
Ex quo
Una domus Austriaca fuit imperatoria;
Non sine injuriâ tot eximiorum in imperio principum.
Quo temporis tractu,
Unâ ab hoc domo domus tot illustres afflictæ, aliæ lacessitæ,
In & extra Germaniam,
Obtentu omnes imperatorio, proprio Austriæ commodo.
Nunc,
Diu hactenus plurium votis,
Fatis tandem volentibus,
Imperatoria illa Aquila, excedente Ferdinando III. excessit
domo Austriacâ,
Imperioq; quod optanti promittere nemo,
Andebat, volvenda dies en attulit ultrò ;
Electores,
Liberam demum nacti electionem, liberam custodite,
Maximè, ut nunc sunt rerum momenta,
En,
Germania vestra, Regis mei arbitrio composita, reflorescit,
Gallia, Succia, Lusitania, Transylvania, Sabaudia, Anglia,
Armatæ agunt omnes omnia;
Solæ adhuc dubiæ Dania ac Hollandia,
Contrà
Austria & Hispania nutant,
Illa ex Poloniæ, Turciæ, Transylvaniæ,
Hæc ex Galliæ, Portugalliæ, Angliæ,
Vicino motu ac metu.
Provinciæ militis, satis numerosi, sed onerosi, seditiosi, stipendiis exhaustæ ;
Viduatæ melioribus viris ac viribus.
Hinc adolescentulo successore, illinc Rege in senium vergente, suspensæ,
Fiscus tàm bello, quàm imperio gerundo impar,

Ipsis etiam presentationibus.

Porrò

Non adeò *proni in illam* hodiè *domum*, Austriacam dico,

Ipse *Pontifex, Veneti, Italiæ* ac *Germaniæ Principes*,

Justo crebriùs illa,

Pontificis, seu D. Petri patrimonia, Aquileæ patriarchatum,

urbinatium Ducatum,

Venetorum vicina territoria, Italorum jura,

Imperatorio afflavit fulmine:

Germanorum verò Principum libertatem, religionem, fortunam

Jam intervertisset, evertisset, ni Rex meus obstitisset;

Neq; *vos, Electores Austriaco* iterum *addicturos* puto,

Nec *Moguntium*, nec *Treverum*, nec *Coloniensem*,

Amicos vicinos Regis mei;

Adductos ab eâdem domo in bella, carceres, contemtum.

Nec Saxoniæ Electorem,

Obligatum quanquam ex beneficiorum memoriâ,

Sed offensionis major in ejus animo revolvit injurias,

Superiori in bello acceptas pro tàm egregiâ navata opera.

Exemplo patrui majoris sui Mauritij,

Injuria, quam beneficio vicem exsolventis.

Et solita à principum ratione

Qui nunquam tam arcto obsequij vinculo uni adhærent,

Vt ab altero orientem utilitatis spem negligant:

Novit inprimis domus Electoralis Saxonica,

Benè Austriacos nemini velle, nec facere, nec sibi fecisse,

Plus nisi ipsorum interfuerit.

Se verò,

Ex quo Mauritius Electoratum, Ioannes Georgius Lusatiam accepit,

Pro tanto munere paria jamdudum fecisse;

Imò *ultra dantem obligasse*,

Viribus, viris, votis, officiis, Austriacam majestatem firmantibus,

Sine ulla compensatione,

Passam potiùs pro servitio sævitiam, & contemtum,

Adeoq; nunc ab omni nexu liberam;

Sed & metu,

Ne

Né ſuo rejectus, aliorum electus ſuffragio Auſtriacus,
Electoratum ſibi adimat, ad priorem domum transferat.
Nam,
Hæc nimis ipſi inviſior & infenſior illâ eſt.
Auſurum,
Rex meus, ac reliqui imperij principes cohibebunt.
Novus verò imperator Saxonico acceptus judicio,
Saxonicam Electoralem tuebitur domum
adverſus quoscunq;
Nec Electorem Brandenburgicum,
Auſtriacis jamdiu ſuſpectum, & ipſum ab Auſtriacis averſum,
Ab ijsdem,
In cauſa Cliveńſi toties læſum, nupero bello attritum,
Transactione monaſterienſi,
Suâ exutum Pomerania,
Quaſi ſolus ille peccaſſet.
Nec Electorum Palatinum;
Cujus & Auſtriacorum domibus aſſignatæ fatales inimicitiæ.
Non ſine Palatini pernicie:
Auſtriacorum irâ,
Parentem ejus dignitate motum,
Exilio, miſerijs, ludibriis objectum,
Hunc ipſum filium innocentem,
Carolum Ludovicum octavo & ultimo inter Electores loco aſſumptum,
Solitum ultrà numerum, ac quaſi precarium,
In minimam aviti palatinatus portionem reſtitutum,
Superiori palatinatu deſtitutum,
Æri alieno ſuo ex alieno expungendo,
Deniq;
Inter eſt veſtra, Electores, ne imperatorem unam hanc intra domum iterum quæratis;
Veſtra hinc periclitatur dignitas, Electio recidit in ſucceſſionem;
Succeſſio in præſcriptionem,
Germaniæ imperium ad inſtar regni Bohemiæ.
Ipſe Imperator inde ſumtus, non electus,

Domin ationem & servos, non rectorem & cives cogitat:
Hæc talia atq; alia ejusmodi sunt;
Ut vel inclinata ad hanc, ad aliam suffragia domum vertere possint.
Aut Saxonicam, ad vetus religionis venturam,
Aut Neoburgico-Dusseldorpensem,
Aut potiorem domum Bavaricam,
Stirpe, potentia, religione, tutela Germaniæ, meritis insignem.
Hactenus re & factis imperatoriam:
Nunc *ad omnes principatus novi eventus casusq;* utilem,
Austriacæ ambitionis obicem, & ex amica hostilem.
Hanc quidem Electionem fore *Austriacis* intolerandam;
At non injustam:
Jure vestro, Electores, factam libero:
Nec *Pontifici* ingratam,
Iamdudum à S. sedis præsidibus expetitam,
Nec *Germaniæ Principibus*,
Qui toties oppressi diu unum ex alia, quacunq; etiam, domo suspexerunt;
Nec *Moguntino*, aut *Trevero*,
Ad quorum sedes non eadem ab Bavarica, quam ab Austriaca domo mala,
nunc verò majora bona redundare possunt:
Electionem Bavaricá eorum favori, Austriaca juri, ac sibi imputante;
nequaquam *Coloniensi*,
Bavarum ut sui sanguinis foventi;
Fortè nec *Saxoni*,
Qui Bavarum nec odit, nec Imperatorem factum timet;
Utiliorem sibi, ac Lutheranorum tolerantiorem,
nec *Brandenburgico*,
nisi amore Bavari, odio tamen Austriaci,
neutiquam verò *Palatino*, minus *toti Electorali collegio*,
Ad illum inde prisca Electoralis dignitas, ad hoc septemviratus
sanctitas rediret.
Nec ipsi deniq; Austriaco;
Qui his vicibus à se amolitur,
Absq; avitæ decremento gloriæ,
Potentissimorum civium invidiam.

Na-

Naturalem nobilitatis superbiam,
Morandi in imperio cupiditatem
Rex sanè meus,
qui Regum, principum, belli, pacis, sui cujusq; statûs arbiter,
Instrumenti interpres pacis est,
Sui nunc muneris esse putat,
Intercedere
Electioni Austriaci, controversiæ Bavari ac Palatini,
Favere liberæ alterius optioni adoptioni,
Calculo, vel gladio, suo,
Præsentem Germaniæ statum ita curare,
Vt suum cuique jus, dignitas, religio, libertas,
Sibi gloria arbitrii, & antiqui ad imperium juris ratio,
Integra sit, ac constet.
769 Vobis, Electores, non ignarum,
815 Imperium Romanum à principio Reges Galliæ habuisse,
841 Carolum M. Ludov. Pium, Carol. Calvum, Ludov. Balbum,
879 Carol. Crassum.
886 Franciscum I. jus diu omissum tandem repetiisse, meruisse,
1519.29. Quorundam suffragia obtinuisse.
1550.51 Heinricum II. clàm Romanor. Regem designatum,
1600 Defensorem ac sacri imperii Romani protectorem nuncupatum,
Reciperatâ Principibus afflictis pace ac libertate;
Heinricum IV. multa pro imperii salute destinasse egregia,
1610 Parricidali quanquam manu præventa,
1619.20.seq. A Ludovico XIII. alacrius post resumta,
Statim exhibita;
Iuliaci, Cliviæ, & Montium successoribus, imperatoris iniquitate læsis,
Post Bohemiæ Vngariæ & unitis Germaniæ proceribus;
Hispano quidem invido, Lotharingo infido, imperatore invito,
Sed felicibus ille armis,
In Rhætia, Valle Pelina, Sabaudiâ, Italiâ,
Distinuit Hispanum,
In Alsatia, Lotharingia, Burgundiâ,
Coercuit Lotharingum,

In inferiori Saxonia, Suevia, Franconiâ, Bohemiâ,
Imminuit nimium Imperatorem:
Suecum, socium libertatis Germaniæ vindicem, sustinuit,
Armis stipendiis, consiliis,
Scilicet,
Adversa jactatis fortunâ Germaniæ principibus,
In sola Gallorum amicitia, semper fuit, & etiamnum
est perfugium,
Tutissimum, fidissimum:
Gallorum ingeniis insitum, ac Galliæ Regum laus propria,
Miserorum calamitatibus, maximè omnium commoveri,
Afflictos contra potentiorum vim tueri,
Parcere subjectis, ac debellare potentes,
Dare orbi pacem, populo quietem.
Verùm,
Beneficia ista solam hactenus intra gloriam steterunt;
Vice nullâ Regi meo redditâ:
Quâ quidem ejus majestas major, & vix ullâ separabilis,
Tituli nisi fortè imperatorii,
Vestro quidem, Electores auspicio,
Ad eum perferendi ab Aquila,
Austriacis tandem claustris emissa.
Quasi postliminio revolaturâ ad pristinum Galliæ nidum;
Tantò facilius, quantò felicius huc refugâ
Ad salutis veluti publicæ portum,
Tacito voto, vento veluti ferente,
Imperii,
Nullo *corrupti* auro, nec prensationibus,
Affectu, non præmiis, grati memoriâ animi, non impetu,
Inducti,
Regem meum.
Suæ hactenus libertatis assertorem,
Belli, pacis, controversiarum arbitrum,
Nunc summum utriusq; custodem,
Respicientis,
Solâ pro sua utilitate, Regis mei onere ac impendiis,

Im-

Imperiali Majestati suffecturis;

Expendentis

Primò *Regiam potentiam*, ut externis formidolosam,

ita indigenis fructuosam,

Utilem imperio,

Ad pristinum splendorem, ac magnitudinem suam,

Quam habuit olim,

Imperantibus Ottonibus, Heinricis, Fridericis;

Reducendo:

Deinde *clementiam* toties cognitam,

Regnare svetam tenero, libero, non aspero, non adductiori imperio,

Liberos præcipuè principes, & Germanos.

Tertiò *justitiam* cunctis æquabilem,

Planè cæcam, & sine manibus, at alatam.

Religionem deniq;, Deo præcipuè sacram,

Frequentem, non superstitiosam, catholicam quanquam

Hactenus cultam, & inposterum colendam,

Absq; injuria aliena sacra colentium,

Citra cujusq; læsionem conscientiæ,

Quæ in rebus fidei ac pietatis, libera esse debet.

Non est religionis, religionem cogere:

Coacta perit religio.

Utraq; in imperio tuta est lege religiosæ pacis,

A Rege meo non labefactandâ.

Nimia verò regis mei potentia, ne cui sit in imperio suspecta,

Eadem imperij lege coercita est:

Absq; eâ

Tacitâ lege regiâ justè, moderatè, & bene regendi;

Omnium commoda imperialiter curandi,

Neminem ex alterius causâ lædendi.

Instrumenta potentiæ bono publico litandi;

Verùm,

Fortè obtenditur nota peregrinitatis.

At hæc ne notabilis quidem est

Ne in aurea, ut multis videtur, Bulla,

Nec ratione Galliæ,

F Quò

quò quasi ad primævum locum redit, ubi initiò fuit, imperium.
Nec in continuo usu,
Alphonso Castellæ rege; richardo Anglo Cordubæ Duce,
Eduardo Angliæ Rege,
Tribus exteris ad imperium raptis.
Nec in natura mundi,
In quo nullæ sunt nationes peregrinæ, omnes indigenæ;
Sed vel bonæ, vel malæ:
Nec in Electionis actu
In quo virtus cujusq; non patria existimanda, & ponderanda est
Minimè verò in Regis mei persona,
Cui Alsatiæ in Germania Landgraviatus magnam demit partem,
De hoc peregrinitatis statu,
Et Gallia Germaniæ juncta ponte Brisaci,
aperta jam Philippurgi, fortè aperienda Manheimij porta,
Facilem ipsi ad Germaniam transitum præbent.
Ad abstergendum, nisi oblineatur, quod attrectatur, indecorum;
Adeò, Electores, cuncta pro Rege meo, ille pro vobis.
Fovete faventem vestro imperio dignitati, libertati,
Ludovicum XIV. Francorum ac Navarræ Regem,
Dominum meum,
Et, sicut velim, velitis,
Vestrum Imperatorem,
Potentem, Clementem, justum,
XI.
Codicillus legati Regis Hispaniæ.
Rex, Dominus meus, Europæorum Regum maximus,
Ad quem validissimæ terrarum partes jamdudum conversæ,
Non unius sibi crediti regi, sed totius orbis,
A quo frequentius adoratur ob ea,
Quæ generi humano, quam quæ hominibus præstat,
Propalàm verò,
Peculiarem vestri, Electores, imperij rationem habet,
Et jam vacantis geminam;
Ne decus imperij è domo Austriacâ, & ne ad exteram Gallicam transeat,
quæ hactenus parùm regnandi idoneos habuit;

In modo

In modo regnandi varios & inconstantes,
Regnandi exteros planè ignaros,
Salutis eorum incuriosos, suæ studiosos,
Omnibus graves, intolerandos,
Hinc nullibi diuturnos,
Faciundæ, quàm retinendæ provinciæ meliores.
Cetera,
Procul gravitate *Tuistonis*, austeritate *Manni.*
Nondum autem Austriaca domus descivit ab eâ felicitate.
Quæ hactenus *omnibus in Christiano regnis vel Reges vel Reginas dedit,*
Et quidem *sanguinis, non adoptionis, scire.*
Austria verè aurea stirps, & inter admiranda,
A Deo data ad imperia terrarum.
Et merè linea masculinâ Regis familia.
In quâ tot egregia Principum decora,
Omnium ætatum, virtutum, studiorum,
Quæ,
Absq; impietate, nec citra bellum, omittendæ;
(Hoc primum vobis denuncio.)
Illa vobis commendo, Regem Dominum meum ostento.
Quanquam sua majestate jam longè gloriosiorem.
Tantorum Dominum regnorum jure successionis, non electionis,
Insigniorem,
Insigni hoc imperatorio,
Quod suæ majestati regiæ parùm honoris multùm oneris adstruat,
Consanguineorum capiti suorum, quàm suo imposito.
Nisi
Immensem vestri imperij corpus diu stare ac liberari sine rectore immenso non possit;
Talem si quæritis; En Regem meum,
Cujus in regnis sol nunquam oritur, nunquam occidit.
Aut vultis *potentem*? En potentissimum Regem meum,
Cujus *potentia* porrigitur,
Ab Hispaniâ, Belgio, Mediolanensi ducatu,
Per Italiam, Balcares Insulas, Sardiniam, Siciliam, regnum Neapolitanum,

Versus

Versus Insulas Africanas, Azores, ad Asiam, Indiam orientalem
& occidentalem usq;
Terrestris æquat potentissimos Reges;
Maritima superat Turcam;
Reddit ubiq; præsentem Regem,
Cujus *Reditus infiniti*, & ultra computum:
Aut respicitis *Catholicum*? En ArchiCatholicum Regem meum,
Cujus in regnis nulla diurna, nocturna nulla præterit hora,
In quâ non teneatur, auditurvè Missa, canenturvè Hymni,
Aut amatis *justum*? En iterum Regem meum,
Severum justitiæ custodem:
Ob quam ab omnibus amatur simul ac timetur.
Justitia præcipuum ipsius Monarchiæ fundamentum
ac munimentum est,
Justitiæ beneficio bonos sibi devincit, clementiâ improbos.
Aut optatis *felicem*? En Regem meum à suis majoribus talem,
Ferdinandum Deus novo orbe, & regno Neapolitano,
Philippum I. regno Hispaniæ, Carolum V. imperio vestro,
Philippum II. penè regno Galliæ, planè Lusitaniæ, quanquam jam defectæ,
Philippum III. victoriâ Maurorum,
Beavit:
Tot regnis pensatâ largiter jacturâ, tot subditorum Sarracenorum,
Quos Reges Hispaniæ pro Christi gloria regno ejecerunt.
Aut inclinat Nationis favor *in Germanum*: En & Regem
meum Germanum,
A Germano Maximiliano I. atavo, abavo Philippo I.
A Carolo V. proavo, Philippo II. avo, Philippo III. patre ortum.
Aut expectatis *munificum*? En & hunc Regem meum.
Qui vestræ Germaniæ monumenta patria, suâ pecuniâ firmare,
ornáre potest.
Reddere imperij principes,
Pauperes, locupletes; minores, majores; majores, maximos;
Prælatos, Episcopos; hos, Archiepiscopos; istos, Cardinales;
Secretiora alia, aurea, honora, & ad cujusq; libita,
Ad singulos referri placet domi;
Instrumenta adipiscendi imperij certissima:

Hoc

Hoc suo vos nomine Rex meus rogare, ac jubere me jussit;
Quod itaque faustum sit,
Philippum IV. Hispaniarum, Indiarum Regem,
Immensum, Potentissimum, ArchiCatholicum, Iustum,
Undiq; majestaticum.
Animo, ore, lingvâ, incessu, habitu,
Vestrum renunciate Imperatorem.

XII.

Codicillus legati, Ducis Sabaudiæ.

Dux, Dominus meus, Italiæ Principum primus,
Rex Cypri:
Germano Saxonum Wittikindicorum sanguine editus,
Cujus familia magnis semper federibus, amicitiis innixa,
Magnis Principibus per affinitatem connexa fuit,
Octies Imperatoribus,
Quatuor orientis, totidem occidentis;
Quinquies Austriaca è domo Imperatoribus, Regibus,
Quinquies Franciæ Regibus,
Quater decies regiis Franciæ Principibus,
Ter Siciliæ, & Hierosolymæ Regibus,
Bis Regi Portugalliæ,
Semel Regi Arragonum.
Semel Regibus Poloniæ, Angliæ, Scotiæ, Cypri.
Natus quidem in Italia, ut Ferdinandus I. in Hispania,
Insignis titulô vices gerentis in Italia imperatorias,
Imperatori devotum imperij membrum.
Inter potentes Europæ Principes numerandus.
Reditibus annuis, vicies centies aureorum millibus dives.
Galliæ, Germaniæ, Italiæ janitor, & obex,
Medius Gallum inter & Hispanum,
Magnæ apud utrumq; existimationis,
Viri illatus, lancem potentiæ secum trahit indubiam,
Cui magnificum & latum,
Utriusq; auxiliis ambiri continuis;
Res suas semper alterutrius viribus firmari:
Longè verò optatius,

Vestro Electores, hodiè foveri judicio,
quod unicum vos rogare, in vos multa erogare me jussit Dominus meus,
Sanè,
Fingentibus, formantibus vobis Principem,
Quem æquata imperio potestas deceat,
Nunquam voto concipere succurrit similem Domino meo,
Quem vobis commendo,
Bonum catholicum,
Nec minimum, aut vestræ libertati formidolosum,
Nec nimium, sed impendiis imperialibus sufficcturum,
Servando, ornandoque imperio parem ac studiosum,
Carolum Emanuelem, Sabaudiæ Ducem,
Imperii Romano-Germanici Candidatum,
Germaniæ, Galliæ, Italiæ claustra insidentem.
Insidiatorem avulsorum imperio vestro artuum;
Precibus meis contradicere indecorum est;
Nisi fortè in honoris petitione præferre velitis,
Electorem Bavariæ Ducem Domini mei sororium,
Dignum imperii æmulum.

XIII.

Electorum de exterorum desideriis judicium.

Electores
Super his à Moguntino consulti,
Nitimur, inquiunt,
auctoritate sanctionis divinæ,
Deut.17.15. *Quæ è medio fratrum fratribus assignat Regem,*
non alienigenam.
Constitutis Ottonis III. Gregorii V. ac fortè Caroli IV.
Ne quis, nisi Germanus ab Electoribus Germanis
eligatur.
Reverentia semper observatæ consuetudinis,
quæ hanc Germanis prærogativam servavit, denegatam exteris.
Iactatione libertatis imperialis,
Quæ germanorum sanguine parta, jugi impatiens exteri.
Honore Nationis germanicæ,
quæ familiis Electorum, ac Principum imperio dignorum præfulget,

Ægrè

Ægrè latura, suam injuriam interpretatura,
Si, assumto extero, extra imperii dignitatem ipsa in imperio haberetur,
quasi idoneus in *Alamannia*, verè *ala magna*, non inveniretur.
Præterea,
Mutua est germanorum affectio, similes mores, eadem lingua,
Extero omnia extera.
Inde novi mores, novæ leges, nova munia, nova nomina;
Imperium in imperio requirendum;
Inde querelæ, ambigui de extero sermones,
Quæq; alia turbamenta vulgi.
Metus tandem imperii ad suos transferendi.
Signum quoque *est labentis Reipublicæ,*
Ad quam fulciendam adhibentur peregrini.
Exteri illi, Hispanus, & Angli,
Turbato imperii statu,
Rapti potius, quàm electi ad imperium;
Temporaria illa mutatio, & extraordinaria non mutat legem
imperii ordinariam;
Nec exemplis, sed legibus judicandum est.
Exempla non faciunt consuetudinem;
Nec horum promissa minis mixta,
Nec sordidæ preces nostram infringunt legem;
987 Iamdiu,
Finita Caroli M. in Ludovico domo,
Imperium cessit in Ottonem Germanum
Capeto, hodiernæ stirpis Gallicæ conditore, autore;
qui,
Diu affectatum Franciæ regnum, & tandem acceptum,
Hoc ut haberet tutum à Germanis; Germanis concessit imperium:
A Gallis An. IↃ. XXXIIX omissum, à Francisco I. tandem frustrà repetitum.
Nec Sabaudo ex vicariatu in Italia,
Nec Hispano ex Belgio in inferiori } Germaniâ,
Nec Gallo ex Alsatia in superiori }
Vllum adipiscendi imperii jus est.
Solus titulus, aut sola bonorum possessio nec civem
imperii nec subditum facit.

Belgio,

Cetera

Quæ ad sui quisque Candidati laudem retulit,
Audienda, quàm arguenda sunt.
Legatorum ut lenonum, propria ars est,
Suis conciliandi amicitias,
Esse Chrestologos, verbis munificos, re inanes,
Promissores, non effectores pollicitorum.
Nemo eorum sponsor erit, regiæ in tanta fortunâ moderationis,
Nemo certum nobis pignus regiæ fidei, & constantis amicitiæ dabit,
Catonis sententia, ferè vera *est*,
De Rege Eumene quidem prolata quondam,
Quem multi ut probum & amico in populum Romanum
animo prædicabant,
Sint vera ista inquiebat;
Attamen illa bellua, natura ferox canis est.
Sentiebat senex,
*Omnes reges, utcunq; pro tempore simulent, naturâ
tyrannos esse,
Famelicos, & satiatu difficiles;
Liberis imperiis infensos;*
Tandem
Non nobis sunt incognita incommoda inde ad nos redundatura;
Alterutro Imperatore, Hispano vel Sabaudo,
Alterutrius hostes, lites, bella, onera, nostra fore,
Sabaudi de Latobrigiâ cum Bernatibus, de Genevâ cum Genevensibus,
De Montis ferrato cum Mantuano, de Mediolano cum Hispano,
De Achaja, Cypro, Ierosolyma cum Turcâ,
De Nizza, villa franca, cum Gallo;
Hispani de Monarchiâ universali cum orbe universo,
Hodiè
Cum Gallo, Lusitano, Anglo;
Hic Rex
Per cognati Imperatoris latus latera omnium labefecit hactenus,
Penitus conficiet, ipse Imperator.
Nunc vi, nunc arte, sæpius nostrâ discordiâ,
Electorum, imperii, dignitatem, suffragia, ad suam trahet familiam,

Domum ac Rempubl. quæ discreta esse oportet, conjunget;
Protestantes ille Catholicorum ope, pòst, hos ipsos suam in-
ditionem rediget,
Dura Hispani ac ominosa vox;
Æquo longiores Germaniæ Episcoporum togas.
Eoq; resecandas.
Ex moriente omnium libertate omne sibi in omnes quæret imperium,
Aliis *servitutis ultima* imponet,
Tyrannidem & inquisitionem
Bonorum & animorum pestes.
Ejus superbiam frustrà per obsequium & modestiam
effugeris,
Quem non oriens, non occidens satiavit,
Nec nostrum satiabit imperium,
Servare sua privari laus, aliena concupiscere Regum est.
De Gallo variè sentimus:
Ille,
In nupera Alsatiæ cessione,
Quibusdam ex nobis visus est,
Bonus imperii civis, principibus honorificus,
Idem iisdem fortè jam videbitur bonus Imperator, imperio utilis,
Lege de peregrinitate dispensatâ, compensatâ interventu utilitatis,
Ad quam omnia in Imperio dirigenda:
Prima est, ac Catholicorum propriæ,
Pro suæ religionis incolumitate vigilare,
Injurias Catholicis illatas reputare suas.
Altera est,
Suis radiis penè obscuratam imperii majestatem illuminare,
Suis divitiis, quæ innumeræ sunt, fesso imperio subvenire;
Tertia est,
Austriacorum potentiam intra terminos coercere,
Germanicam libertatem defendere, custodire;
Hic,
Olim duos inter fratres Palatinos habitum,
De novo eligendo Cæsare,
Quidam ex veteri memoria repetitum sermonem, hodiernæ penè parem,
Insurra-

Insurrabat alteri ;

Quantum ab Austriæ Principibus, præsertim Maximiliano,

Pater ipsorum perpessus sit immeritissimus;

Et quid ipse nuperrimè in imperio ;

Nil ipsis ab Austriacis sperandum.

Majores ipsorum ob eos in calamitates, & innumera

incommoda incidisse,

Ab illis nunquam relatam gratiam ,

Regem contra Galliæ offerre opem, & amicitiam ,

Promissa reparaturum , damna resarciturum.

Hic alter ;

Nihil Gallo fidendum, nihil ab illo sperandum ;

Temperarij sunt Galli, nec ámici perpetui.

Tam diu servant amicitias, quam diu sibi utiles.

Austriaci, utut sint, fidei sunt observantiores.

Hæc duo inter se fratres quondam.

Sed & nos tutius imperio censemns hodiè,

Galliæ quoq; Regem imperio procul haberi ,

Ex iisdem, quibus admovendus videbatur, rationibus.

Ratio religionis ,

Quæ Catholicis favet, I rotestantium securitati adversatur.

Splendor majestatis ,

Qui imperium illuminet, idem nimius illud obcæcabit:

Sidera parva & exilia validiorum exortus obscurat :

Primo inumbrabitur principum dignitas, pòst diminuetur,

tandem proteretur ;

Ad primævum ministerij statum sub tanto principe reversura.

Prævident , ac prætiment hoc Principes, diffidentiâ properi,

quibus unica cura conservandi se.

Horror admittendi nimium ,

Datis quibuscunq; cautionibus,

Aurum, & opes,

Præcipua bellorum caussæ erunt , & turbarum instrumenta.

Viri & vires, irritamenta ;

Brisacum & Philipburgum, portæ ,

Gallorum levitas , alæ

Ad solutiorem in imperio potentiam:
Austriaci periculi remedium,
Majus erit nostræ libertatis periculum.
Libertas & speciosa nomina prætexuntur;
At servitium nemo concupivit,
Ut non eadem ista vocabula usurparet.
Alium Germania Dominum, quàm aliam conditionem habebit.
Nec mitiorem sibi Gallum,
Qui suis toties fuit immitis,
Præterea
Austriacæ domus electio, fortuna, & *hæc imperij compages,*
Quæ firmis CCC. LXXXIII. annor. nexibus coaluit,
Convelli sine exitio convellentium non potest.
Ita nunquam non misera erit Germania.
At velit omissus Austriacus quiescere;
Anné parêre extero?
Aut velit exterus Rex nobis imperitare,
Poterit né rité, scité, ex formulâ, & ad mores nostros?
In eo animi, morum, linguæ diverso,
Sæpè
Comitatem Principes, populares bonitatem, requirent,
Et in inquiete gente quietem omnes.
Ipse Rex sibi difficulter persuadere patietur,
Aliud esse justum, civile quàm quod sibi videatur.

XIV.

Electoris Moguntini de omnium sententiis sententia.

Elector Moguntinus ab Electore Saxone rogatus sententia,
Vestro, inquit, Collegæ, de exteris judicio prorsus assentior.
Addo saltem:
Non adeò ægram Germaniam nostram,
Ut rectorem suppeditare imperio suo nequeat.
Parem præcipuè Sabaudo, tot hactenus bellis attrito,
Suspecto vicinis omnibus,
Hispanis, Gallis, Helvetiis, Mantuanis.
Cujus Vasalli exhausti, reditus Genuatibus, aliisq; oppignorati.
Hispaniæ vero Regem,

Longè

Longè imperio nostro majorem, libertati periculosiorem,
Eundem jam quinquagenarium, & ultra,
Sine masculâ sobole,
Hoc ambitiosius, quam honestius ambire,
Exemplo avi sui Philippi II.
Qui
Eâdem quanquam nixus ratione
Eâdem in ambitione consenuit,
Non obtinuit,
Hoc unum non potuit, qui suo tempore omnia potuit.
Et sanè;
Eidem nostrum imperium, nimis longinquum, minus commodum est;
Nec
Sine Hispaniæ periculo,
Per se,
Executione regni hæreditarij Infanti, vel alij traditâ,
Hoc præsertim in tuto Lusitaniæ ac Cataloniæ statu;
Nec
Sine imperij Principum dedecore,
Per adjutorem administrandum;
Quod planè insolitum;
Intolerandum verò imperij proregibus,
Qui vices absentis imperatoris gerere solent;
Alia est forma imperij, ac Belgij, aut regnorum Indicorum.
Nec hoc Galliæ Regi utile, tutum, honorum, videri.
Primò id profusis apiscendum sumptibus, servandum majoribus,
Novo subinde regni sui onere,
Quod jam dudum sumtuum gravitate suos anteivit reditus.
Imperatoria Germania amica est domina,
Ac obœrata ac sumtuosa,
studiosa
Procos exteros emungere argento, pòst repellere vacuos.
Experimento procacis imperij proci Francisci I.
Quicunq; cum tali conjugium contrahit, malum sibi attrahit.
Ingens fisci thesaurus exhaurietur,
Unico Regis in Germaniam adventu,

 Unico

Vnico in Germania palatio,
Tanto Rege, tanto Imperatore digno;
Tanto comitatu, Equestri, militari;
Sine Regis usu,
Tot contra impendiis in vanitatem gloriæ imperatoriæ usi,
Nulla inde habentis subsidia, nullos, imperii reditus,
Nisi qaarundam in transitu *civitatum donativa*,
Vinum, piscem, avenam.
Germania Germano imperatori nullas collationes,
Nisi solitas, ac prævia in Comitiis cognitione concessas,
Et tardè, congerere solet,
Tardius externo,
quem in suspenso tenere, è re suaretur,
Quasi sic magis obnoxium, minus ausurum:
Anne Gallia tot erogationibus sola sufficiat?
Deinde,
Gemina ista majestas, multis in invidiosa, multis formidolosa,
Multos in Regem conciet hostes;
Primos Austriacos,
Qui claritudinem Cæsaris extera in domo ferre nequibunt,
Sine discordiæ matre, æmulatione,
Fortè & federatos, ac vicinos.
Sabaudum, Anglum, Batavum,
Quorum inter est,
Tàm potenti non circumdari vicino.
Periculum quoque est,
Ne periculum ipsi Galli facessant,
Intus in Galliæ visceribus,
Regi rebus Germaniæ foras impedito,
Viribus hinc inde distractis;
Sunt sanè mobiles Gallorum animi,
Et,
Odio vel præsentium, vel nova spe,
Vel arte Hispani, imperatoriæ dignitatis æmuli,
Ad res novas illectu faciles.
Vicissim,

Con-

Conversis ad civile bellum Gallorum animis,
Rex sua curaturus,
Externa nostra sine cura habebit.
Præterea,
Melius quidem est imperium,
Imperare regibus ac principibus, quàm servis ac mancipiis,
At indecorum & inhonorum,
Regi Galliæ inprimis sueto dominationi,
Intra placita procerum mandata coercere sua:
Integrum in Gallia, divisum in Germania cum proceribus
habere imperium.
Audiri
Autoritate suadendi magis, quàm jubendi potestate;
Audire
Dudum sua exturbatas curia inimicas regi voces,
Nous ne devons pas, nous ne pouvons pas:
Germania sane profitetur,
Se Galliæ Regi multum jam debere, plurimumque velle debere,
At salvis ll. imperij,
Imperium in externum Principem, externam domum, ac linguam,
Transferri non posse,
Neutri expedire.
Esse eum jam sua majestate satis gloriosum,
Gloriosiorem,
Hoc alii, quam sibi, procurato.
Regna superstat,
Qui regnare jubet.
Tandem,
Nihil hactenus evenisse,
Cur *antiquitus instituta exolescerent,*
Suffectos semper indigenas consanguineis populis,
Nec nos pœnitere veteris Reipublicæ.
Gravior, Collegæ, deliberatio est,
Austriacus, an Bavarus placeat.
Suffragia de utroque paria sunt;
Rationes nonnihil dispares.

Res

Res utriusque collatione expendenda, quàm mei adjectione
suffragii expedienda.
Austriaca domus,
Totius Christiani orbis *adversus hujus nominis hostem,*
quàm heri, non minus hodie metuendum,
Hactenus *arx fuit inaccessa,*
Custodia fidissima inexpugnabile munimentum;
gloriosa victrix;
Victoriam reor, ubi provisum, ne vinceremur.
Provisum verò abhinc tot annos,
Plus ab Austriacâ, quàm ante eam, à Bavaricâ aut Luxem-
burgicâ domo,
Absque eâ,
Rabies ista Ottomaunica,
Quodam quasi diluvio, aut inflammatione,
Corripuisset,
Germaniam, Galliam, & qua patet, *Christianorum imperium,*
Spaciosa Austria,
Extensa, quàm divisa,
Tot in provincias prope dissitas, regno propiores,
Ab extremis Silesiæ, per magnam Germaniæ partem,
Ad Rhætos, & lacum Acronium usq;
Tutrix
Finium longitudine parium illis,
Qui à montibus Carpathicis Hungariæ limites propter ad mare
Adriaticum porriguntur,
Redundantes omnium copiâ rerum,
Nulla pace,
Nimium vicini Turcæ,
Ipso induciarum ac pacis tempore,
Inquieto & immani hosti;
Inde continua bella, stipendia, munimenta, præsidia,
Quæ vel *opulentas pecuniæ provincias* exhauriant,
Austriam non exhauriunt,
Tot impendiis semper parem, aut supra.
Præpollent præterea Austria,

Duobus

Duobus Bohemiæ ac Ungariæ Regnis.
Innixa
Amicitiis, affinitatibus, federibus, viribus, Hiſpani,
Non adeò, ut fama vana refert, attriti,
Satis validi, & ſi caſus datur, promti,
Grandis Germaniæ momento.
Auſtria, aurea potentiſſima,
Defendendo Chriſtiano, præcipuè Germano generi data,
Hinc obligatiori,
Eandem omni honorum genere demereri,
Tam optimè de omnibus meritam;
Quæ omnes obligavit, tuendo omnes,
Nemo illam offendat, eligendo aliam,
Contra animi memoriam grati;
Periculoſa, eſt Germaniæ imprudentia,
putare,
Moto dignitate imperii Auſtriaco,
Libertatem cæteris Principibus fore ſecuram.
Peſſimum eſt conſilium,
Hanc velle domum, Turcæ obicem, labefacere,
Hoc eſt,
Propria nudare terga, ea occaſioni patefacere;
Eripere Auſtriaco illud, quod contra Turcam valentiſsimum eſt,
Robur famæ imperatoriæ, ac decus imperii;
Idque referre ad Bavarum,
Quem non proprium armat periculum adverſus impurii hoſtem Turcam,
Ceteravix parem,
Ferendis imperii oneribus;
Auſtriaco,
Nec opum, nec potentiæ, nec ſubjectorum, nec provinciarum amplitudine,
Comparandum;
Felicem quanquam ſemel hujus opinandum,
Tot rebelles adverſus & hoſtes ſuos.
Neque verò hoc avitæ, ac benè meritæ domui invidioſum.
Novus principatus comitem habet invidiam,
Sæpè periculum, ac civile bellum;

H Maxi-

Maximè ab unâ in aliam domum transmissus,
Eligimus Bavarum,
Electus, & nostra suffragia tuenda sunt,
Advertus obnitentem Austriacum;
Non sine imperii vulnere; nostro dedecore.
Eligimus Austriacum,
Electio videtur succesio, contra ll. Imperii, & coacta,
Omnino videtur; at non est.
Cauta ac secura,
Lege regiâ, Caroli V, fide adhuc durante in domo Austriacâ,
Nolle se imperii dignitatem sua familia peculiarem facere,
Minus Electorum suffragia coercere.
Et alioquin liberis regnis solenne,
Electionis libertatem restringere ad stirpem, ac Principis subolem:
Hactenus,
Nemo vestrûm, Electores, de eligendi meritis retulit;
Inopiâ nè virtutum, an reverentiâ comparationis?
Quæ & invidiæ plena esse solet.
Cavetur hoc rectè;
Vt in cetero, sic in hoc honoris ambitu,
Aut,
Privilegio temporis,
Quod non nisi unius esse solet.
Aut,
Majorum ac parentum meritis,
Quæ liberis prodesse debent:
Aut,
Potentiore Competitore,
Quo alterius prensatio submoveri potest;
His una tribus ista Bavari, Austriaco minoris,
T[illegible]ore, parentum meritis, potentia.
Porrò
Absque metu Turcæ foret:
Cum Brandenburgico *potentem* non requirerem Imperatorem;
Non contra hostes externos,
Tales ferè imperium non habet, nisi nostris discordiis acritos.

Nos

Nos nobis invicem hostes sumus;
Et (vanum!) unà circulares belli socij,
Malè & inutiliter, societati, sæpè adversus se ipsos,
Religione dissociati;
Non propter imperii incrementum,
Quod Imperator semper augustus aucturus non est,
Quia nec imperium, nec imperator habet familiam:
Nemo aliis, sibi potius vigilat, serit, metit.
At non augeat augustus, modò conservet, nec perdat, imperium,
Justum cum Saxone quærerem,
Litium,
Quibus Germania scatet,
Celerem exsecutorem.
Sapientem cum Palatino optarem,
Quàm sperarem:
Bonus quoq; imperator est bona adjutus consilio.
Ut totum Electionis actum complectar,
Vestris, Electores, suffragiis tres nominati,
Leopoldus Wilhelmus, Leopoldus Ignatius,
Austriaci,
Ferdinandus Maria Franciscus Ignatius Wolfgangus,
Bavarus,
Wilhelmus unicum Brandenburgici Electoris,
Ex illis duobus, tria habet quilibet suffragia,
Leopoldus Ignatius,
Suum, Treveri Saxonis,
Ferdinandus Maria, &c.
Suum, Coloniensis, Palatini;
Qualem alteruter sortem, statumq; habiturus sit,
In meo nunc suffragio positum est,
Cui Deus O. M. fortunam imperatoriam daturus est,
Neo ore pronuncias:
Ex meo responso lætitiæ causas populi, urbesq; concipient.
Ego igitur
S. R. J. Electorum Primus in rogando, in dandâ sententiâ ultimus,
Ex omnibus istis illum

 At il-

At illum etiam num nominare supersedeo,
Redditus quasi Harpocrates
Ardua res est, Electores, *imperio rectorem dare,*
Aliore inquirendum consilio,
Uter horum sit, an neuter.
En,
Nondum triginta præteriere dies,
Quod itaq; felix ac faustum sit,
Unum ex his eligendum,
Ad iteratam disquisitionem mittite,
Facite, ut nobis etiam Respublica pro Electo grata sit.

FINIS.